


Et cætera membra, ex quibus constituitur. Posterior autem hæc diuisio sphaere in rectam, & obliquam sphaeram vocata est secundum accidens; quia in ea non diuiditur sphaera in sibi essentialia, vt in priori, sed in accidentalibus, quæ nimirum illi accidunt, habita ratione eorum, qui in sphaera vitam degunt. Dicitur namq; sphaera recta, vel obliqua respectu habitantium sub ipsa, quod quidem accidit sphaere. Tam enim esset sphaera, si nullus in ea habitaret, quam nunc est. Est igitur diuisio hæc similis illi, qua diuideretur animal in animal album, nigrum, &c. quam quidem constat esse diuisionem secundum accidens.

In priori figura hic apposita exemplum habes sphaere rectæ: In posteriori vero sphaere obliquæ. Manifeste autem vides in sphaera recta axem mundi coincidere cum Horizonte.



VNIVERSALIS autem mundi machina in duo diuiditur, in ætheream scilicet, & elementarem regionem.

## COMMENTARIVS

TRADITVRVS iam auctor in hac tertia capitis parte formam totius mundi, Diuidit prius uniuersam mundi machinam in duo, Videlicet, in regionem elementarem, & ætheream, ex quibus tanq; partibus tota mundi machina conflatur. In qua diuisione Mundi machina capitur pro congerie, & coagmentatione omnium corporum superiorum, & inferiorum. Est enim mundus perfecta & absoluta omnium rerum congeries, & ornamentum; Vnde a Græcis *κόσμος* dicitur ab ornatu. Quem duabus definitionibus Aristoteles in libello de mundo cap. 2. (si tamen Aristotelis est libellus) describit, quarum prior hæc est. Mundus est compages constans ex cælo, terra, & reliquis naturis, quæ in  
his